

Werk

Titel: Antibodini luridici Prodomus

Autor: Klengel, Christian; Coch, Dietericus

Verlag: Literis Röhnerianis

Ort: Wittebergae

Jahr: 1658

Kollektion: VD17-Mainstream

Gattung: Dissertation:jur.

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN757418236

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN757418236>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=757418236>

LOG Id: LOG_0005

LOG Titel: Caput Quartum.

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

fratribus, honoribus, sacerdotiis, imperiis, nobilitate fruuntur, quæ nobilitas ad nepotes usq; pertinet.

XXIII. Colophonem addent capiti huic ultima fere Bordini verba: *Quod si verum est, rationi semper ac legi divine locum esse oportere, nec ipsam Palestinæ finibus concludi, cur non ubiq; terrarum lex illa de servitiis ac libertate tam utiliter, quam sapienter à Deo lata vim habitura sit potius, quam quæ humanis ingeniiis excogitata fuere?* Non eonabitur subscribere Grotius Bordinò, alienigenis legis Hebraicæ jugum imperanti. *Nec enim ex illius mente, quam I. de J. P. & B. c. I. n. XVI. explicat, lex obligat eos, quibus non est data: Humano generi ter jus datum à Deo novimus, statim post hominem conditum, iterum in reparatione generis humani post diluvium, postremò in sublimiori reparatione per Christum.* Ex omnibus autem populis unus exstitit, cui peculiariter Deus jurâ dare dignatus est, populus scilicet Hebræus. Unde nullâ partè legis Hebrææ, quæ lex est propriè, nos obligari putat, quia obligatio extrâ jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluisse, ut alii, quam Israelitæ, istâ lege tenerentur, nullo indicio potest deprehendi. Hinc directam obligationem non patitur Grotius, obliquam non refugit. Enimvero non ausim sequi Grotium, ut ut Deus Israelem affetur, assensum cohibente Excellentissimo apud Argentoratenses Theologo D. Johanne Schmidio *disp. de lege morali in genere th. XXII.* Distingvendum tamen inter ea, quæ absolutè sunt communia, & quæ his addita sunt nonnulla singularia in lege morali. De ceremoniali quippe, ut & forensi impræsentiarum haud loquor. Porro quod ait Grotius, legem non posse obligare eos, quibus non est data sive promulgata, humanæ legi tantum competit, non illi, quæ connata est. Nec enim istam addiscimus, accipimus, legimus, sed ex natura ipsa arripimus, haurimus, exprimimus, ut verbis uti liceat D. Balthasaris Meisneri *part. III. Philos. Sobriæ sect. II. cap. IV. quæst. II.*

CAPIT QVARTUM.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Vi parta imperia vi subinde dissolvi nequeunt.</i> | III. <i>Civis interdum etiâ agnosci meretur, qui matre cive natq.</i> |
| II. <i>Libertas est juris naturalis negativi.</i> | IV. <i>Cives non modo nascuntur, sed & fiunt.</i> |

V. Originarius Syndicus studio
& fide superat extraneum.

VI. De cognatione Jurispruden-
tia & Politica.

VII. De iure pignoris Antiochen-
sum civitatis ad explicatio-
nem L. XXXVII. D. de reb.
autorit. judic. possidend.

IIIX. Civitas, cujus mœnia auto-
ritate superioris solo æqua-
ta, talis esse desinit.

IX. Gregatim è civitate discedi
nequit.

X. Muri sunt urbis termini.

XI. Qualis status fuerit sub Au-
gusto, & ceteris Imperatori-
bus.

XII. De exilio Ciceronis.

XIII. De mero imperio & juris-
dictione nonnulla.

XIV. Pontifices Hebraorum præ-
ter alios judicia criminalia
exercebant.

XV. De Nobilium immunitate à
tributis.

XVI. Ab alienis subditis injuri-
am imperantis armis inter-
dum arcere licet. Non æquè
licet subditis in libertatem se-
se vindicare.

XVII. Domicilium originis ho-
diernis moribus est obnoxium
mutationi.

XIIIX. Vasallus invito domino
feudum refutare, & hic illum
invitum liberare potest.

XIX. Principes sæpe Viros inge-
nio acerrimo premiorum &
immunitatum illecebris sibi
conciliant.

I. **A**bsoluto imperio Mariti, Patris, & Domini de cive ac ci-
vitate tractaturus sum cum Bodino, promptus adversus
eum rerum malè perceptarū asertor, promptusq; ubi causa po-
stulat, defensor. Experiri enim id nolim, quod me assequi posse
diffidam, modò liceat mihi esse tam disertio. Sane cum imperia
(quæ juri gentium accepta tulit Hermogenianus in L.V.D. de J.
& J.) vi primum coaluisse docet, à sole veritatis non aberrat.
Sed & Lipsius IV. Polit. XIV. violenta regnorum initia fuisse
profitetur. Ab isto tamen capite non fluit, vi dissolvi posse,
quæ vi parta sunt imperia. Grotius: Nam & quæ vi parta pri-
mum sunt imperia possunt ex voluntate tacita jus firmum acci-
pere, & voluntas aut ex initio constituti imperii, aut ex post fa-
cto esse potest talis, ut jus det, quod in posterum à voluntate non
pendeat, II. de J. P. & B. c. IV. n. XIV. Ad idem inclinat D. Rein-
king. de R. S. & E. lib. I. cl. I. c. V. n. XV. Recedit Bodinus II. de Rep.
V: Posterior populi suffragatio quasi quædam tyrannidis est confir-
matio. Nec antagonista Grotii acquiescit: Ad servitutem nulla

vel expressa, vel tacita voluntas sufficit, præsertim si eam præcedat metus, quia voluntas metu extorta admittit restitutionem in integrum. Refutatione meâ non opusest, quâ à D. Reinkingo dict. loc. n. XVI. XVII. & seqq. relevor. Planè actus imperii, quos exercet in vasor, injustâ tantum possidendi causâ fretus, vim habere possunt obligandi, non ex ipsius jure, quod adhuc nullum est, sed ex eo, quod omnino probabile sit, illum, qui jus imperandi habet, sive is est Populus ipse, sive Rex, sive Senatus, id malle, interim rata esse quæ imperat, quàm legibus judiciisq; sublatis summam induci confusionem, *Grot. l. de J. P. & B. c. IV. n. XV.* De potentia Cæsarea quærit Cyriacus Lentulus in *August.* an tyrannidem sapiat? Sobriè & sentit, & loquitur.

II. Verum non est fortasse pretium, cur expendendis regnorum initiis immorer diutius. Libertatem porro non nisi perruptis naturæ legibus eripi potuisse Bodinus censet, sed ineleganter, ut auguror. Vim enim talem haud patitur jus naturæ, quod firmum atq; immutabile semper permanet, §. XI. *Inst. de J. N. G. & C.* ut nec à Deo, qui injustus nunquam est, quicquam adversus id jus præcipiatur, *Grot. l. de J. P. & B. c. I. n. XVII.* Intellico autem jus naturale positivum. Alia ratio negativi, ut Scholasticis loquendi mos est, quod mutationi obnoxium. Huc libertas pertinet, non illuc. Neq; enim decrevit eam jus naturæ, quod aliàs perumpi nequivisset, *D. Ludw. ad §. XI. Inst. de J. N. G. & C. Add. D. Habn. obs. ad D. de J. & J. n. XV. de stat. homin. n. IV. D. Ullgepauer. exerc. Justin. II. q. IX.*

III. Ad civem styllum verto, de quo caput VI. concepit Bodinus. Agnoscit autem talem, qui vel utroq; parente, vel altero tantum cive natus est. Sufficere adeo putat ad civem constituendum, matrem habere civem. Dices, partum legitimè conceptum patrem sequi, non matrem, *L. XIX. L. XXXIV. D. de stat. homin.* At interdum privilegio aliquo materna origo censetur, *L. I. §. II. D. adminic. L. XXXVI. D. de decurion. Petr. Cynæus Lib. I. de Rep. Hebræor. cap. XII. p. m. LXXIII. Alciat. ad L. CXCVI. D. de V. S.* Ita statutis caveri solet, ut simul nobilitas matris attendatur studiose, *Jos. Nold. de stat. nobil. civ. eorumq; privil. §. LXI. LXII. Wurmser. exerc. IV. J. P. th. XII. D. Reinking. de R. S. & E. Lib. I. cl. V. c. XI. n. XXVI. Perez. prælect. in Cod. de dignit. n. XLVII.*

IV. Neq;

IV. Neq; nascuntur tantum cives, sed & fiunt, instillante Bodino, quales sunt manumisi, adoptati, *L.I princ. L.XV. §. fin. D. ad municip. allecti, Gotbofr. ad d. L. lit. H* Manumissione hodie cives esse incipiunt, qui homines proprii vulgo salutantur, *Hahn. obs. ad D. dict. tit. ut & de manum. vindict.* postquam servitus eviuit, cujus ne meminisse quidem debuisset Bodinus. Ad allectos quod attinet, separandum erit jus recipiendi cives à potestate dandi jus civitatis, quam catalogo reservatorum (ut vocant) Imperatoris insertum eunt Thom. Michaël *de Jurisdic. concl. XII. lit. C.* Henric. Bruning. *de variis universitat. specieb. th. XIII.* Laurent. *Opin. de jur. episcop. th. XII. lit. C.* personatus ille Hippolythus à Lapid. *de ration. stat. part. I. c. XVI.* Verum an Imperator jus civitatis extraneo libere concedit ad omnem juris effectum, ut in omnibus, ac per omnia Germano par habeatur? Negat Hippolyth. à Lapide *de ration. stat. part. I. c. XVI. circa fin.* Alias quæ comitentur hodie allectionem civium Hahnus inculcat *obs. in D. ad munic.* Deniq; licet adoptio municipem faciat, nobilitatem tamen non confert, nisi avus maternus adoptaverit, *Trentl. Vol. I. D. II. th. X. lit. A. Vol. II. Diss. XV. th. V. lit. C. ibiq; Bachov. D. Hahn. obs. ad D. de adopt. n. VI. Jos. Nold. de stat. nobil. civ. c. IIX. th. LXXI.* Divortium amant Tiraquellus *de nobilit. c. XV. n. VI.* Wurmsler. *exerc. IV. §. P. th. XII.*

V. De singulis istis civibus quid sui consilii sit Bodinus ostendit, cives natos factis civibus præferens. Hinc civem originarium Syndicum renunciari apud Germanos usu receptum suggerit. Quamvis autem in dubio sim, id ita observari, experientiâ aliud doctus, infiteri tamen integrum non est, indigenas huic muneri præponendos esse, quoad ejus fieri potest, exclusis extraneis. Illi enim majori studio & fide præsumuntur communitatis suæ causas acturi, *Wesemb. parat. ad D. quod cujusq; universit. nom. vel cont. eam agat. n. V.* D. Hahn. *Corvin. ibid. At insita mortalibus natura* (ita queritur Tacitus *II. historiar.*) *ut recentem indigenarum felicitatem ægris oculis introspiciant, modumq; fortuna à nullis magis exigant, quam quos in æquo viderunt.* Hinc fastidium illud conterraneorum, hinc pruritus & desiderium exoticorum. Peregrinationum autem abusus id mali fere invenit,

vehit, *Locten. Lib. I. de ordin. Rep. c. IX. Lib. II. c. IX. Add. D. Dannhaw. phanom. II. X. ὀδοροφίας.* Alioquin antiquitatis studiosus solidè comperior, neminem ejus provinciae rectorem aut praesidem fieri potuisse, cui originem debebat. Sed nec Fiscalis officio, aut Assessoris in Patria sua ultra menses quatuor aliquis fungebatur, nisi indulgenter eum haberet Princeps, *L. X. C. de assessor.* Id verò (ut Paulus meminit *V. sentent. tit. XII.*) ideo factum, ne aut gratosus, aut calumniosus apud provinciales suos quis esse videretur. *Add. Perez praefect. in C. tit. ut nulli patriæ suæ administratio sine speciali permisso principis committat. Zevocot. obs. Polit. ad Sveton. Caesar. cap. LXXVI.* Hodie multæ in Italia Urbes, ne civilibus patriciorum, plebejorumq; discordiis iterum turbentur, peregrini Prætoris eligendi morem prudenter ante inductum adhuc servant, qui nullo cognationis aut factionis contagio infectus jus sincerius dicat.

VI. Ulterius contra Bodinum vocem mitto, cognationem Juris, ac Politicæ depravantem: *Qui de Rep. sine legum ac juris scientia scribunt, consimiliter faciunt, ut qui nullis omnino jactis fundamentis ædes altissimas moliantur.* Ergone fundamenta sua è penu juris nostri depromit Politicus? Vertenda oratio. Conjuncta quidem apprime studia Politicæ (imo totius Philosophiæ Practicæ) ac Jurisprudentiæ veneramur, at hæc illam fundamenti instar supponit, non contra. Ita, ne plura coacervem, Juris Publici studiosus principia communia è prudentia civili haurit partim, partim ex historiarum monumentis, *D. Hahn. obs. ad D. de J. & J. n. XIV. Add. Wurmser. exerc. I. J. p. th. I.* Profecto qui minus fideliter ethicæ fundamenta jecit, eum incasum in Politicis desudare atq; elaborare dixerim. Naudæus: *Ne cruda adhuc studia in Principum aulas propellantur, & Politicæ disciplina, quàm nihil sublimius est, aut magis difficile, hominibus sui impotentibus ac ignavis induatur, rationi valde consentaneum esse existimem, politicas institutiones exordiri ab illa prima Philosophiæ moralis parte, quæ velut unica vitæ humane rectorix ac magistra singulos sui muneris ac officii admonet, voluntatem iracundiæ fluctibus agitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantemq; passionum motibus confirmat, bibliogr. Polit.*

VII. Plura quidem annedit Naudæus, quem Excellentiss. Dominus Buchnerus primus admirabilem inter Germanos fecit, sed ista nihil pensi habeo, rebus magis arduis & difficilibus intentus. Huc refero meritò, quæ de jure pignoris, civitatibus quibusdam competente, Bodinus enucleat: *Trajanus Augustus ad Plinium Juniores, Asiæ Proconsulem, rescribens negat civitatem Bithyniorum jus habere Reip. ut privatis creditoribus jure pignoris potior esset. Et rectè quidem. Id enim proprium erat Romanæ civitatis, & iis, quibus singulari jure tributum erat, ut Antiochensium civitati, quæ sola in universo imperio privatis creditoribus jure pignoris potior erat. Papinianus: Antiochensium Cæle Syria civitati, quod lege suâ privilegium in bonis defuncti debitoris accepit, jus persequendi pignoris durare constituit, LXXXVII. D. de reb. autoritat. judic. possidend. Rationem dubitandi nullam reperio, nisi eam, quam apud Cujacium dudum legi Lib. X. observ. c. XXXV. A bello Civili Pescennini Nigri stetit Byzantium, & Antiochia, quas etiam victor Severus malè multavit, & autore Herodiano, Perinthiis, qui à se steterant, adjudicavit Byzantios partis adversæ, & eadem ratione Laodicensis Antiochenos, quibus præterea cum ademisse multa Spartianus scribit. Inde forsitan ratio dubitandi in d. L. XXXVII. an Antiochensibus, quæ non à Principibus, sed lege suâ acceperunt privilegia, adempta censerentur, ut puta tacite & privilegiaria hypotheca in bonis defunctorum debitorum. Et respondetur, ea durare. Sed recipio causam Bodini defendendam, quæ Antiochensium civitatem, aliasq; singulari favore creditoribus privatis pignoris jure potiores fuisse asserere haud veretur. Neq; enim tacitam hypothecam civitates fortiuntur, nisi ex privilegio, aut nisi specialiter in obligatione pignoris sibi prospexerint, L. II. C. de jur. Reip. At fiscus semper habet jus pignoris, L. XLVI. §. III. D. de jur. fisc. ex causa nempe tributi & contractus, non poenæ, & delicti, L. XVII. D. eod. tit. L. VII. C. de privil. fisc. Gothofr. ad d. L. XLVI. lit. N. Bachov. ad Treutl. Vol. II. Diss. XX. th. IV. lit. K. Postremum sit, quod in bonis administratorum suorum civitates jus taciti pignoris rectè allegent, arg. L. fin. C. quo quisq; ordin. conveniat.*

Treutl. Vol. II. Diss. I. tb. IV. lit. K. Wesemb. parat. ad D. in quib.
caus. pign. vel hypothec. tacite contrah. n. V. D. Hahn. ibid. Bachov.
ad Treutl. dist. loc. Scotan. inexam. jurid. alleg. tit. Bruning. de
variis universit. specieb. tb. XC. Unicus addubitare fecit Pere-
zius praelect. in C. de jur. Reip. n. XII. pene ut omnia transverso
calamo delerem, quæ ante de jure pignoris in bonis administra-
torum à me notata erant, nisi aliunde suppetias sperassem.
Confidentior Perezus n. XIII: *Quicquid ea in res sit, non est du-
bitandum, quin possit civitas statutum facere inter suos cives, quo
derogetur legi civili, & inducatur, ut privilegium habeat tacite hy-
pothecæ, præferaturq; creditoribus chirographariis & privilegio val-
latis, non illis creditoribus, quibus expressa hypotheca competit.
Esset enim durum, imo iniquum eos privari jure suo per statutum,
quod non debet adimere id, quod non dedit.*

IIIX. Pergit Bodinus: *Potest ipsa civitas sibi constare mæ-
nibus urbium solo æqvatis.* Ego in apertum referam cum Gailio
II. obs. LXI. quod maximè inter sit, an civitas, aut ejus mænia de-
structa fuerint ab eo, cujus summum est imperium, ob deli-
ctum, num hostis aut tyrannus everfor extiterit? Prior casus
me Bodini assecclam profiteri vetat. At dices, delinquere vix
posse universitatem. Planè & in omittendo, & in committen-
do delictis est obnoxia civitas, D. Hahn. obs. ad D. quod cujusq;
universit. nom. vel contr. eam agat. n. VI.

IX. Circa hanc porro in contentione versamur, an ci-
vibus de ea abscedere liceat? Exemplis rem conficere Bodinus
videtur, qui Pompeji quoq; meminit, ducentos Senatores ac
meliorem civium partem ab urbe, quam Cæsari reliquerat, se-
ducentis. At gregatim discedi non posse, nisi periculum evi-
tetur vitæ, aut fortunarum, expeditum est ex necessitate finis
(verba Grotii II. de J. P. & B. c. V. n. XXIV. mea facio) quæ jus
constituit in moralibus. Nam id si liceat, jam civilis societas
subsistere non possit. De singulorum discessione alia res vide-
tur, sicut aliud est ex flumine aquam haurire, aliud rivum didu-
cere. Interim servanda est regula naturalis æqvitatis, quam
Romani in privatis societatibus dirimendis secuti sunt, ut id

non liceat, si societatis interfit. *Add. Grot. lib. III. de J. P. & B. c. XX. n. XLI.* Imo & religionis causâ (ne plures recitem, easq; varias) migrare civitate licet, §. XI. *Pac. Religios. Cran. part. II. de P. R. probl. I. D. Carpov. quest. IV. semidec. disp. feud. VII.* Illi tamen, qui aërem mutare amant, ad præstationem des *Abzugs/ Nachschosses/ der Nachsteuer* sunt obstricti, *Dominic. Arum. discurs. VI. ad A. B. th. XIII. Henric. Kloet de jur. vestigal. th. LXIII. Gail. II. obs. XXXVI. n. X. exceptis Academicis, D. Ernest. Cothm. resp. Acad. XIX. Arum. d. loc.* Postremò sciendum, quod ea, quæ dixi, ita obtineant, si nihil aliud convenerit. Novimus enim populos esse, ubi id non liceat, ut apud Moscos. Nec negamus talibus pactis iniri posse societatem civilem, *Grot. II. de J. P. & B. c. V. n. XXIV.* Hoc sensu accipio illa Bodini verba *num. LIX: Omnibus Principibus ac Civitatibus pro jure majestatis ac imperii cives domi continere semper licuit ac licebit.*

X. Misis istis urbem aggredior, indagatum terminos ejusdem, quos nimio opere extendit Bodinus: *Urbs murorum & suburbiorum ambitu continetur. Aberninus itaq; cum urbem à suburbis & continentibus ædificiis sejungimus.* Suburbium enim vicus est extra urbem. *At urbis appellatio muris, Roma autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet, verba sunt J. C. Pauli in L. II. D. de V. S. Add. Gædd. ad d. L. n. XV. & seqq. Marc. cellus: Ut Alfenus ait, urbs est Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, quæ continenti ædificia essent, L. LXXXVII. D. eod. tit.* Hinc quí in continentibus natus est ædificiis, vel hortis, Romæ quidem natus est, sed non in urbe, *Gædd. ad d. L. II. n. XX. & seqq.* Et hæc leges notatu dignas in quæstionibus privilegiorum, immunitatis concessæ, venditione, locatione, jurisdictione, exiliis, & similibus præse commendat *Gothofred. ad d. L. II. lit. A.*

XI. Sed nec sincerum est judicium Bodini de statu Reip. Romanæ sub Augusto, & cæteris Imperatoribus. Impræsentiarum popularis status umbram Tiberium penitus admissæ pronunciat, quam Augustus P. R. reliquerat. Alibi principatum insubide fovet, à seipso fere disfidens: *Resp. Rom. sub Augusto,*

ac ceteris deinceps Imperatoribus usq; ad Flaviū Vespasianum Principatus dicebatur, cuius Reip. nec Herodotus, nec Latinorum, aut Græcorum quisquam, præter Tranquillum, meminisse videtur. Is enim scribit Caligulam, cum Reges ac Principes, quos convivio exceperat, de dignitate ac generis splendore inter se contenderent, Homeri carmen illud usurpavisse :

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν ὅ ἐσσι,
εἰς βασιλεὺς.

Ac parvum absuit, quin diadema sumeret, ac speciem principatus in regnum converteret. Ex quibus intelligitur, sub Augusto post Actiacum bellum nec popularem statum, nec optimatum, at ne regnum quidem fuisse. At Principatus aliud nihil est, quam optimatum, aut populi status, cui unus aliquis præest, Lib. II. c. V. in fin. Ut paucis multa complectar, Bodinus noster, & Tranquillus ambiguo nominis sono, ac rerum externarum specie se decipi passi fuerunt, cum non veritate (ita legere malim apud Livium, quam virtute) promeretur libertas, sed arte luderetur. Confer Cyriac. Lentul. August. p. m. CCCXLIX. & seqq. Subsidiari quidem videtur L. IIX. C de LL. quæ Theod. & Valent. sanxerunt, ne ulla lex absq; consensu Senatus promulgaretur, sed enervat istud subsidium D. Frantzkius Comm. in D. de constitut. Princip. n. XV. XVI. regalis status acerrimus propugnator. Huic sententiæ accedit incomparabilis Hugo Grotius l. de J. P. & B. III. n. X. & perspicax ille Hippolythus à Lapide de ration. stat. part. II. c. VI. sect. IV.

XII. Augusti Imp. dum mentionem facio, operæ præfium erit Ciceronianum exilium recordari cum Bodino: Legem Porciam Cic. Cons. cum violasset, non modò exulare coactus est, sed etiam proscriptionem passus domo penitus incensâ. Non possum mihi temperare, quo minus verba Zevæcotii afferam: Vindicare mortem Cesaris (Nota probè medium illud imperii munimentum, cuius Cyriacus Lentul. in August. p. m. CCLXXIV. CCLXXV. meminit) & imperare volebat Octavius, sed quia non satis æquum experiebatur Antonium, Patribus illi adversis, & sine duce fluctuantibus operâ Ciceronis imposuit, dissimulato interim quo maximè ardebat

debat studio, donec firmatis satis viribus tunc id detegere potuit. Miror Ciceronem, quamvis sepius à Bruto, & aliis admonitum, tantum tribuisse adolescenti. Verum dum fatum urget, sepe etiam qui prudentissimi sunt spei suae aut opinioni tribuunt tam multa, ut se despisisse ipsi postea cogantur fateri. Non raro enim eos, quos commendatione suâ & labore promoverunt, non ingratos tantum experiuntur, sed etiam inimicos, obs. Polit. ad Flor. Lib. IV. c. IV.

XIII. Deflexit paululum disputatio mea, quam restituam animosè. Etenim mihi de exilio Ciceroniano amplius occupato esse nec licet, nec libet. Meminit Bodinus supplicii de Salvatore nostro Θεανθω sumpti à Pontio Pilato, quod Judæi exequi non poterant. Nam si Judæorum Magistratus municipales (verba sunt Bodini) merum imperium ac jurisdictionem habuissent, ipsi cognitionem suscepissent; sed nullam pene jurisdictionem habuerunt, præterquam quod jubere cavere, & in possessionem mittere, pupillis etiam tenuibus dare tutores poterant. Magnum conspicio campum, in quo excurrere possem, nisi in exiguum gyrum orationem compellere amarem. Primò merum imperium sub voce Jurisdictionis comprehendere videtur Bodinus. At nullam, Jus Civile si spectes, dextre agnoscere videor jurisdictionem criminalem, cui voluptati est, fontes juris Romani videre potius, quam rivulos consecrari. Disident à nobis Wesemb. parat. ad D. de Jdict. n. II. D. Frantzk. Comm. in D. eod. tit. n. III. &c. Secundò asfertum ire placet, quod missio in possessionem bonorum interdum sit jurisdictionis, interdum mixti imperii, D. Habn. obs. ad D. de jurisd. n. VII. Jubere verò caveri mixti est imperii, illius nempe, quod eminentius existit jurisdictione, L. IV. D. de jurisd. D. Frantzk. Comm. in D. de jurisd. num. LII. Deniq; sciendum, quod primitus tutoris datio non fuerit jurisdictionis. Hodie potestatem illam jure Magistratus exerceri vix negabis, Habn. obs. ad D. de officio ejus cui mandat. est jurisd. n. IV.

XIV. Ad defensores civitatum quod attinet, quorum meminit Bodinus, partes Anton. Perez. prælect. in Cod. de defensor. civitat. non desiderabuntur. Enimvero majoris momenti est,

quod sequitur: *Fallunt, qui putant, Pontifices Judæorum judicio Christi abstinnisse, quasi religione impedirentur, ut nostri Pontifices tradunt, quo minus pœnam capitalem irrogarent, ex eoq; judicia capitalia tractare, aut sententiam cruentam se ferre prohiberi, quod ab antiquitatis ignoracione profectum est, cum satis, opinor, perspicuum sit, Senatum Judæorum LXXI. etiam ex Sacerdotibus ac Levitis coaluisse, & capitalia judicia prius exercuisse, quam Palæstina in Provincia formam redacta fuisset.* Duo horum verborum capita occultare nequeo, quæ digna sunt, in quibus vires suas exercent ejusq; indoles. Illud saltem præcipiendum v. d. tur, quod pœna minus recte dicatur, quæ delicto reddita non fuit. **OMNIS POENA, SI JUSTA EST, PECCATI POENA EST.** Et hoc ad pœnas etiam, quæ à Deo irrogantur, pertinet, quoniam in illis interdum ob humanam caliginem lateat culpa, ubi non latet pœna. Dehinc ad primum caput propero, cujus memini, an Hebræorum Pontifices (Ita loqui malim. Non enim Resp. non imperium de Judæ nomine dici cœpit, nisi postquam secessionem major Israëlitarum pars fecisset Hieroboami auspiciis, *Cunæus Lib. I. de Rep. Hebræor. c. X.*) Sacerdotes, ac Levitæ in causa criminali jus dicere potuerint? Non dubitat Bodinus. Sanè Cunæus priores partes apud me habet, hac in re exactissimus Bodini interpret *lib. I. de Rep. Hebræor. c. XII.* Ante omnia populi istius synedria offert se nobis concilium magnum Sanhedrin, in quod ascripti Senatores LXX. erant. Id concilium cum constitutum à Mose esset, semper deinde sub Judicibus, Regibusq;, & Pontificibus usq; ad extremam Judææ desolationem fuit, mansitq; in ea urbe, quæ sanctuarii sedes, atq; Reip. arx colebatur. Sedes istius concilii in ipso sanctuario fuit, ubi de divinis, humanisq; rebus Senatores LXX. cognoscerent, de civibus primariæ nobilitatis, Levitis, Sacerdotibusq; lecti. Pontificem etiam Maimonides ascitum ait, si cordatus, & capiendis consiliis non ineptus foret. Porro hæc dignitas, quoniam amplissima erat, nemini sine legitimo actu data. *χρησθεις* enim opus fuit. Ita Moses Josuæ, & septuaginta Senatoribus manum imposuit, quæ impositio diu usitata evulvit demum.

demum. Recitatum enim duntaxat carmen quoddam conceptis
verbis, quorum interpres est Cunaus : ECCE MANUS TIBI
IMPOSITA EST, DATURQUE POTESTAS TIBI JUDICIA
EXERCENDI ETIAM CRIMINALIA. Veteres quoque Ger-
mani vitæ necisque potestatem sacerdotibus tribuebant, si
fidem meretur Tacitus : *Duces* (intelligit Magistratum belli-
cum) *exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante
aciem agant, administratione præsumunt. Caterum neque, animadvertere,
neque, vincere, neque, verberare quidem nisi Sacerdotibus* (con-
sentiente fortè populo) *permisum, non quasi in pœnam, nec Ducis
jussum, sed velut Deo imperante, quæ adesse bellantibus credunt.*
Inde perspicuum est, Cæsarem de bell. Gall. aut minus comperta
habuisse antiquorum Germanorum jura, aut verò paulo post
ejus ætatem imminutam fuisse Ducum potestatem, libertatis
popularis incremento, *D. Conring. de judic. Reip German. th VII.*
Secundum caput nostros concernit Pontifices, calumniatorum
Christi simiolos. Illi enim judiciû sanguinis agitare erubescunt,
*can. VI. c. XXXIII. q. II. cap. X. de judic. cap. V. IX. ne clerici vel mon.
secul. negot. se immisc. cap. ult. eod. in VI. Corvin. aphorism. ad jus
Canon. Lib. IV. tit. I. quod jure Canonico æquè ac Civili manda-
ri nequit, Fachin. lib. IX. controuv. jur. c. XCIX.* Dissentit Rittershus.
Lib. V. differ. Jur. Civ. & Can. c. VI. Hinc quamvis Laurent. *Ohm.
de Jur. episcop. th. XIIIX.* Episcopo intuitu jurisdictionis licentiam
impertiat decernendi pœnas delicti, ecclesiasticas tamen sive
canonicas (quales sunt pœnitentia, excommunicatio, interdi-
ctum, suspensio, remotio, *Arnold. Corvin. aphor. ad jus Canon. Lib.
IV. tit. XLII. Marc. Anton. Cucch. lib. IV. inst. Jur. Canon. tit. X.*) à
secularibus consideratè separat. Inde invocatio brachii secu-
laris, quam vocant, inolevit, ne clerici secularia negotia af-
fectarent, *Henr. Zæs. in lib. III. Decretal. tit. L. n. I. ne pluribus
intenti distraherentur.* Eandem ob causam clerici Legibus, &
Physicæ, i. e. Medicinæ sub pœna excommunicationis operam
dare prohibentur, *cap. III. cap. fin. dict. tit. ibiq. Zæs. n. III.* Jungas
velim *Arnold. Corvin. Lib. I. aphorism. Jur. Can. tit. XXVII. Cunr.
Rittershus. Lib. VII. Differ. Jur. Civ. & Can. cap. I.* Fortuitò in
hunc

hunc sermonem incido, quod imperium merum mandari hodie nequeat, postquam jure Magistratus haud competit. Sed & hoc à verò non abludit, judicia capitalia neutiquam affectanda esse. Grotius: *Minimè consultum est homini verè Christiano, ac ne ipsum quidem decet, ut ad munera publica, quæ de sanguine judicium habent, suâ sponte se ingerat, jusq; vite ac necis in cives sibi tanquam omnium excellentissimo & Deo cuidam inter homines deferri æquum existimet ac profiteatur, II. de J. P. & B. c. XX. n. XVI.*

XV. Neq; enim aut beneficiorum amplitudine, aut quovis decumano titulo definiendi cives, ut unus magis civis sit, quam cæteri, Bodino teste. *Hinc etsi apud Germanos (eiusdem verba recito) nobilitati nulla imperentur tributa, arma tamen capere pro Rep. ac caterorum civium salutem tueri tenentur.* Prolixitatem de necessitate tributorum in Rep. refugit animus, contentus iis, quæ Cunr. Rittershus. *part. II. Jur. Justin. c. II. n. XV. ac Anton. Perez. prælect. in Cod. de annon & tribut. memoria prodiderunt.* Magis ad rem pertinet investigare, an Nobiles à tributis sint immunes, & à quibus? Imp. Constantinus: *Omnes pensare debent, quæ manus nostræ delegationibus ascribuntur, nihil amplius exigendi vel remittendi potestatem esse, L. II, C. de annon. & tribut.* Omnes, inquam, non modò provinciales subditi, sed etiam extranei, atq; forenses ad solutionem tributorum sunt devincti, Perez. *in Cod. dist. tit. n. XXIIIX. exceptis nobilibus vassallis, D. Wurmser. exerc. VI. J. P. th. II. X. Cass. Kloß de contrib. in imper. usit. th. XXXVII. Add. Jos. Nold. de stat. nobil. civil. eorumq; privil. cap. XI. quos tamen legitima præscriptio eo jure privat.* Perezius: *Qui in possessione est nobilitatis, & per tempus à statuto præscriptum non solvit tributa, etiamsi postea fecerit actus contrarios, non propterea decidit suâ possessione, & jure, quod longâ majorum serie est continuatum & completum. Atq; ita etiamsi sapius sciens tributa solverit, ut plebejus, & describatur in matricula plebejorum, retinebit tamen majorum suorum privilegium, nisi illud reiteratis solutionibus per tempus legitimum XXX. annorum passus sit perimi. Cum enim solutionum actus sint reiterati, ideo spectandum est tempus legitimum, prælect. in Cod. de his qui sponte munera publica*

blica subeunt n.IIX. Alteri quaestionis membro Grotius satis concisè faciet: *Concessio immunitatis vestigalium & tributorum intelligetur de quotidianis & anniversariis, non de iis, quæ summa necessitas exigit, & quibus carere Resp. non potest, II. de J. P. & B. c.XVI. n.XXVII.* Hunc in modum limitandam duxerim immunitatem Illustriss. Mecklenburgi Ducibus, Dominis meis clementissimis, à tributis Imperii futuro tempore concessam, *Pacif. Osnabr. art.XII.* In extremo Bodinus ait, quod nobiles pro Rep. arma capere obstricti sint, quibus turpe est, murcis æquari. An sumptu suo non æquè patet? Adi & audi Perez. *pralect. in Cod. de quib. munerib. vel praestation. nemini liceat se excus. num.VII.* Planè si edicitur ipsis, ut militent, siquidem constat injustam esse belli causam, abstinere omnino debent, *Grot. II. de J. P. & B. cap. XXVI. num. III.* Quid si dubitant saltem? Obsequium vasallorum postulat textus *II. F. XXIIII.* Catero qui pravalet illud Ciceronis *I. de officiis: Bene praecipunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniqum.* Add. *Grot. II. de J. P. & B. c. XXIII. n. II. c. XXVI. n. IV. Bodin. III. de Rep. cap. IV. n. CCXC.* Ubi tamen alicui alterutrum profus est faciendum, & de utroq; an æquum sit, dubitatur, id quod minus iniqum videtur eligere licebit. Semper enim ubi electio evadi nequit, minus malum rationem boni induit.

XVI. Quantum autem possunt Principes, caveant, ne injusta, aut quæ speciem injusti habent, imperent subditis, atq; ita mirum in modum animos à se alienent. *Videmus quippe Principes saepe in Imperii finibus bella gerere pro subditis vindicandis, qui quem sequantur constituere non facillè possunt, ac seipos saepe vindicant in libertatem.* Verba hæc Bodini non sunt inania rebus utilibus. Me quidem movent, ut quærere primò liceat, an justa sit belli causa pro subditis alienis, ut ab iis arceatur imperantis injuria? Negat Grotius *II. de J. P. & B. c. XXV. n. IIX.* nisi Busris aliquis, Phalaris, Thrax Diomedes ea in subditos exerceat, quæ æquo nulli probentur. Tunc enim præclusum non est jus humanæ societatis, modò omnis sollicitatio exulet. Scio enim alieni cupiditatem hos sibi aliquando quævisisse, & adhuc quærere obtentus; sed non ideo statim jus esse desinit,

Siquid à malis usurpatur. Deinde ab illa controversia nobis est difficultas: an semper liceat subditis in libertatem sese vindicare? Pernego, etsi vi partum fuerit imperium, quod ab oppressis postea confirmatum. Repetenda thesis I. cap. IV. Quid si verò aliquis imperium, quod vi inuasit, solà vi retineat, nullà datà fide, pactione secutà nullà? Belli jus isto casu manere, ac proinde in eum licere videtur, quod in hostem licet. De bello subditorum in superiores egit Grotius *lib. I. de J. P. & B. c. IV.*

XVII. Ego sanè subditis pressis nimium & oppressis savor fuerim, ut singuli potius, quos officii necessitudo nulli loco alligat, vel ex ipsa patria in alias ditiones migrent, quàm ad arma conclament adversus Principem, Patriæ vitricum, ac emendari nescium. Dices, patriam mutari non posse, fiducia Bodini: *Tametsi (inquietis) cuiq; integrum est domicilium commutare, nemini tamen Patriam repudiare licet.* Non nego Jure Civili domicilium originis quoad munera, onera, & jurisdictionem fuisse immutabile, quò Bodinus respicit; at hodiernà consuetudine sensim aliud invaluit, testibus Gaillo II. *obf. XXXVI. D. Frantzio Comm. in D. de judic. n. XXV. Wurmfero exerc. IV. §. P. th. XI.*

XIII. Ubi verò omnis violentia turpis est, ubi Princeps pastor populi, Pater Patriæ, & Rex salutatur, venià non impetratà solum verti minimè debet, uti non insulsè Bodinus animadvertit. Quæ de domino & vasallo in simili adjicit, improbabilia fere puto: *Nec vasallus patroni obsequium, nec vicissim patronus vasalli clientelam ac tutelam ejurare sine justa causa potest, nisi mutuo utriusq; consensu.* Profecto quoniam domino invito feudum refutari, & consequenter obsequium recusari possit à vasallo non dubito, modò extraneos excepèris, quibus ne absq; consensu domini feudum cedat vasallus, illius interest, *Arum. disp. feud. VII. th. XXII. & seqq. D. Struvius exerc. Feud. XII. th. XIV.* Imo nihil refert, etiamsi per stipulationem constitutum fuerit, quo minus refutationi locus sit, *Excellentiss. Dominus D. Suev. exerc. Feud. IX. th. IX. Arum. dict. loc. th. fin.* Sed & dominus vasallum invitum liberare audet, *Arum. th. XXVI.*

XIX. A seriis istis nonnihil ad jucunda deflectam, an-

fama

tam arripiens, quam Bodinus præbet: *Sapissime* (ait) *Principes*
ingeniosos homines præmiorum magnitudine ac immunitatum ille-
cebris ad se pertrahunt. Dices, liberum Populi statum feracem
 esse ingeniorum, non principatum. Tacitus *Lib. I. historiarum:*
Dum res Populi Rom. memorabantur pari eloquentiâ ac libertate.
Postquam bellatum apud Actium, atq; omnem potestatem ad unum
conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere. Simul veritas
pluribus modis infracta, primum inscitâ Reip. ut alienæ, mox libi-
dine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Verba illa
 Taciti licet ex adyto oraculorum deprompta videantur, haud
 tamen ingeniis in quacunq; facultate exilium minantur regna.
 Primò enim (verbis utor *Cyriaci Lentuli in August.*) *diverse sunt bo-*
norum Regum ac verè Patrum Patriæ, qui literas atq; artes honestas
plerumq; evocant, semitæ, nec cum violenti Principatus moribus ob-
quandam formæ externæ similitudinem confundende. Deinde di-
 stinguo inter ingeniorum & artium diversos fines, nec omnes eadem
 falce demeto. Præterea immunitatum illecebris dicuntur allie-
 cere Principes Viros ingenio illustri. Verum immunitas illis
 concessa oneri non erit cæteris civibus *arg. L. IV. C. de annon. &*
tribut. L. XII. C. de omni agro desert. Perezius prælection. in *Cod.*
de annon. & tribut. n. XXXII. distinguendum esse putat inter
 Principem supremum & inferiorem, ut si ille onus imponat, & ab
 eo aliquem eximat, non teneatur quicquam de suo emolumento de-
 trahere, sed adhuc integrum ab aliis recipiat. At inferior ita immu-
 nitatem concedere potest, ut de summa sibi debita à subditis tantum
 detrahatur, quantum est portio privilegiarii. Non autem potest ita
 concedere, ut alios aggraveret.

CAPUT QUINTUM.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Domicilium an decennio con- trahatur?</p> <p>II. Peregrinus nec hereditatis, nec legati capax est.</p> <p>III. Deditus hostibus, nec rece- ptus, an civis maneat?</p> <p>IV. Antacenti obese debeat silen- tium?</p> | <p>V. Germanus est, qui Patre Ger- mano natus, licet extra Ger- maniam.</p> <p>VI. Principum iustis tenentur etiam peregrini.</p> <p>VII. A sacerdotiis, & magistrati- bus potissimum submoventur.</p> |
|--|--|